



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [1]



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [1]

BREVIS

DISQVISITIO,

An & quomodo vulgo dicti Euangelici Pontificios, ac nominatim *Val. Magni de Acatholicorum credendi regula judicium* ſolidè atque evidenter refutare queant.

ELEVTHEROPOLI,
Apud Godfridum Philalethium
Anno M DC XXXIII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

APOC. XXI, 7, 8.

QVi vicerit, poſſidebit omnia: & ero ei Dominus, & ipſe erit mihi filius. Timidis autem, & incredulis, & execrabilibus, & homicidis, & ſcortatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars eſt in ſtagno ardenti igne & ſulphure; quod eſt mors ſecunda.

APOC. XXII, 14, 15.

BEati qui ſervant ejus mandata, ut ſit eis jus in arborem vitæ, & per portas ingrediantur in urbem. foris autem erunt canes, & venefici, & ſcortatores, & homicidæ, & idololatræ, & quiſquis amat ac committit mendacium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

BREVIS DISQVISITIO,

An & quomodo vulgo dicti Euangelici Pontificios, ac nominatim *Val. Magni de Acatholicorum credendi regula judicium* ſolidè atque evidenter refutare queant.

CAPVT I.

Qui errorem refutare velit; eum nec in eodem hærere, nec vera refutationis fundamenta rejicere oportet.

EORVM, quæ adverſus Pontificios diſputantur, duo ſunt præcipua, quorum vis ad alia omnia ſeſe porrigit. Alterum de Iudice eſt: Alterum de Norma controverſiarum fidei. Nam ſi obtinuerint illi, eccleſiam ſuam, aut Pontificem Romanum judicem eſſe talem, cujus ſententiam, ſub æternę damnationis pœna, quivis ſine contradictione, aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

tergiverſatione ſequi teneatur; traditioneſq; non ſcriptas ad normam omnino pertinere: rem omnem confectam habebunt. Quicquid enim in cōtroverſiis particularibus ex ſacris literis adverſus illos allatum fuerit: alio ſenſu accipiendum eſſe, Papa judice, dicent. Quicquid præter ſcripturam ab ipſis doceri dixeris; traditionum non Scripturarum normæ conſentaneū eſſe regerent. Quocirca, ſi quis vel Iudicem, vel Normam controverſiarum fidei non recte conſtituerit: is ſolide refutare Pontificios nequaquam poterit. Et manifeſtum id quidem de illis eſt, qui, ſive per omnia, ſive ex parte eundem cum Pontificiis Iudicem, eandemque Normam ſtatuunt. Idem tamen & de illis cenſendum, qui Pontificiis quidem ea in re adverſantur; at ipſi tamen in conſtituendo judice normaq; à vero aberrant: ita quidem, ut non modo veram ſententiam; ſed & ſimul cum iſta, omnia falſitatis refutandæ fundamenta rejiciant. Etſi enim ſim-

pliciter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

pliciter non ſequitur, ſi tua ſententia falſa eſt, meam protinus veram eſſe (quia nimirum utraq; falſa, præterque eas alia aliqua vera eſſe poſſit). Attamen ſi id omnino conſtitutum aut concluſum ſit: vel meam, vel tuam, nullamque præterea aliam poſſe veram eſſe ſententiam: certe à remotione ſententiæ tuæ ita meam colligam, ut tu, quod reſpondeas, nihil invenire poſſis; niſi conceſſis præmiſſis complexionẽ abſurdè negare volueris. Dum vero ita veram excludis ſententiam, ut ſimul refutandæ falſitatis fundamenta ejicias: quî fieri poſſit, ut meam tu, licet falſam, ſolidè refutare ſententiam queas? Totum autem illud in iis, quos Lutheranos Calvinianoſque appellare ſolent, deprehenditur. Nimirum inſignes adeo tum de Iudice, tum Norma controverſiarũ fidei fovent errores: ut quominus Pontificiis rectè reſpondere queant, omnino impediantur. Id quod paucis demonſtrare conabimur. Cumprimis vero, ut illuſtris cu-

juſdam viri petitioni ſatisfaciamus, in *Valeriani Magni Mediolanenſis F. Ordinis Minorum Seraphici P. Franciſci, nuncupatorum Capuccinorum, de Acatholicorum credendi regula judicio, anno* M DC XXVIII *Pragæ à Paulo Seſſio excuſo*, id ipſum videbimus: ſimulque vera refutationis fundamenta, bono cum Deo, oſtendemus.

Cap. II.

De Patribus & Doctoribus.

ET primùm rectè quidē verbis illi adverſus Pontificios negant, Eccleſiam, ejuſque doctores, aut concilia, controverſiarum fidei judices eſſe tales, quorum ſententias ſequi omnes, ſi æternam condemnationem effugere velint, obligati ſint. Sed haut ſcio, an quod dicunt reipſa defendere nequeant. De Patribus, quos vocant, Conciliiſque primorum ſeculorum ea plane produnt, quę, niſi judices omnino conſtituantur, nullo conſiſtere modo poſſunt. Nimirum Scripturam ſacram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

cram ex illorũ mente explicant. Ab illis doctrinę capita repetunt. Illorum auctoritate confirmant. Neque adverſus Pontificios tantum, ſed & adverſus eos diſputantes, qui à Patribus ſe diſſentire non inficiantur, perpetuum illum Patrum Conciliorumq; conſenſum perpetuò crepant. Eoſq; qui Patribus illis olim Conciliiſque contradixerunt, tanquam hæreticos meritò damnatos eſſe cẽſent. Neque Patres propterea recipiunt, quia cum Scriptura conſentiunt: ſed Scripturam eo intelligendam modo cenſent, quia Patres ita explicarunt. Ideoque priùs de unanimi Patrum Conciliorumque conſenſu, quàm de vero Scripturæ ſenſu ſunt ſolliciti. Nec deſunt, qui affirmare non dubitant, etiamſi ſacræ literæ illorũ adverſari ſententiæ manifeſtè ipſis viderentur; ſi tamen Patres Conciliaque ſecus eas intellexerint: malle ſe Patribus iſtis Conciliiſq; adhærere; quàm privatum, uti vocant, ſuum de Scripturis ſequi judicium. Neque il-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

li è vulgi fece ſunt; ſed & qui ad ſummum in Theologia gradum conſcenderunt. Deum immortalem! cur à Pontificiorum tot dogmatis, tot Patrũ Conciliorumque comprobatis ſuffragiis receſſerunt? Nonne in illis privatum ſuum de Scripturis ſequuti judicium ſunt? Et cur idem non audent in cæteris? Si verò Patrum Conciliorumque tanta eſt auctoritas: cur eam non ſequuntur in omnibus? Et quid tandem invenient, quod conſtanter Pontificiis reſpondeant? Nihil nunc dicam de eo, quod meritò tamen deplorandum, quòd familiæ ſuæ autores, ac doctores Lutherum, Brentium, Chemnitium, vel Calvinum, Bezam, Zwinglium, alioſque tanti faciant, ut vel latum ab eorum placitis unguem recedere magna ipſis ſit religio. Adeo ut in diſſentientes ferro, flãmâ, carcere, exilio ſævire non dubitent. Res nimis manifeſta eſt, ut probationis hautquaquam indigeat. Hoc autem annon eſt, Eccleſiæ, ejuſque doctoribus controverſias

cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

cum aliorum obligatione judicandi poteſtatem adſcribere?

CAP. III.

De Spiritu ſancto.

SED præterea alius de Iudice error eſt, iſque eò ad incautos ſeducendum accõmodatior, quo majorem ſanctitatis ac religionis habet ſpeciem. Nimirum Iudicem ipſi Spiritum ſanctũ ſtatuunt. Saltem ſine eo nullum cuiquam de ſacris judicium concedere volunt. Quo ipſo rationis ſanæ judicium ante Spiritus ſancti illuſtrationem planè tollitur. Quamvis præterea ex profeſſo contra eam diſputent, & neſcio quibus floſculis rationem etiam ſanam egregiè ſcilicet condecorare ſoleant: aliiſq; tanquam abſurdum objicere, quòd rationi conſentanea eſſe omnia religionis capita afferant. Hinc Monacho illi *Val. Magno* ejuſmodi naſcitur hypotheſis, ex Lutheranorum Calvinianorumque ſententia: *Nullus certo aſſequitur verum ſenſum ſacrarum lite-* *c. l. pag. 2. pr. 3.*

rarum, niſi interius illuſtratus & edoctus à Spiritu ſancto. Hæc talia qui admittunt, eos omnino ad hanc tandem devenire oportet quæſtionẽ: Quinam ſint illi, qui verum à Spiritu ſancto ſenſum edocti ſint? Et porrò ſi reſpondeant, ſingulos eſſe devotè orãtes: quæretur: Quinam ſint, qui devotè, uti decet, orant? Nec omnes dicere; nec certos quoſdã nominare audent. Imò affirmant, quod & à Mona-
c. ll. pag. 12. pr. 1. cho annotatur: *ſingulos Chriſtianos errare poſſe in fide.* Fateantur ergo neceſſe eſt: ſingulos etiam poſſe non ſatis devotè orare. Alioqui n. nec in fide errare poſſent. Hoc ipſum enim ſi oratione obtinerẽt, ne in fide errarent; niſi in oratione defectus eſſet. Nimirum ſi verum eſt, ſingulis devotè orantibus Spiritum S. dari. Quid ſi ergo errarent? Sic enim quũ exiſtimarent, ſe habere Spiritum ſanctum, fallerentur. Rectè enim Monachus ſub finem cap. 11 colligit: *Quia Bibliſtæ fatentur fieri poſſe, ut aliquis non, uti decet, invocet Spiritum ſanctum: conſequenter fieri poteſt, ut omnes ac ſinguli de-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

li deſtituantur Spiritu ſancto, & conſequenter diſcordent à ſacris literis, & errent in fide. Nec quicquam valet eorum exceptio, qui ſingulos quidem errare poſſe fatentur; ſed in præſenti; non autem perpetuò, ſeu finaliter. Quod prædeſtinatos, ſeu ab omni æternitate nominatim, ſive abſolutè, ſive reſpectu ad fidem, operave futura habito, electos perire, adeoque finaliter errare non poſſe credant. Primùm enim id totum falſum eſt. Neque enim de ejuſmodi, qualem illi volunt, prædeſtinatione quicquam eſt in ſacris literis. Imò talia ex ea ſequuntur abſurda, quæ cum ſacris literis, & principiis naturalibus manifeſtò pugnant. Deinde etiamſi vera illa eſſent omnia; non tollerent difficultatem. Quæro enim: unde ſcis te eſſe prædeſtinatum? Ex Spiritu ſancto. At unde ſcis te certò habere Spiritum ſanctum: quũ fieri poſſit, ut quis in eo fallatur & erret? Quia ſum prædeſtinatus. Prædeſtinati autem finaliter non errant. Quis pudendum hîc non videt circulum?

Spiritus enim ſancti præſentia probatur ex prædeſtinatione: & rurſus prædeſtinatio ex Spiritus ſancti præſentia. Similiter: unde ſcis te eſſe electum? Quia ſum ovis Chriſti. Vnde id noſti? quia vocem Dei in Scriptura expreſſam audio. Hîc duo quæro: primum, unde ſcis in Scriptura vocem Dei expreſſam? Ex Spiritu ſancto. Deinde, unde ſcis hunc eſſe Scripturæ ſenſum? Ex Spiritu ſancto. At unde ſcis te habere Spiritum ſanctum? Quia oravi. Vnde ſcis te ſatis devotè oraſſe? quia ſum electus. Vides ut redeas unde egreſſus eras. Hoc ipſum enim, te eſſe electum, probandum erat. Tandem, ut te electum eſſe conſtet; quia tamen aliquando errare electi etiam tales poſſunt: quî ſcis te modò non errare? Hæc omnia qui conſideraverit, manifeſtè deprehendet, eos, qui ſupra dicta de Spiritu ſancto ad omne de rebus credendis judicium neceſſariò urgent: totum Monachi cap. 4 ſolidè refutare nullo modo poſſe. Sequitur enim iſtis ſup-

poſitis

poſitis omnino, quod ille concludit: *Illuſtrationem mentis, ſeu divinos ſupernaturaleſque motus, quos Spiritus ſanctus excitat in mente Bibliſtarum præmiſſa oratione conſulentium ex ſacris literis Spiritum ſanctum, eſſe argumentum, unde certo colligant, ſe doceri à Spiritu ſancto verum ſenſum ſacrarum literarum.* Vnde enim aliàs vel Biblia continere verbum Dei; vel hunc eſſe à Spiritu ſancto dictatum verborũ ſenſum dignoſcunt? Quandoquidem rationis à Spiritu ſancto non illuminatæ judiciũ jam exploſerunt. Hinc porrò colligitur: *Ergo ejuſmodi motus neceſſario debent eſſe maxime divini, certi, & indubitati, quo ſine ulla formidine erroris, v. g. quælibet muliercula audeat, poſſit, & teneatur, ſub pœna mortis æternæ, conſtantius credere, ſe certius edoctam ex ſacris literis à Spiritu ſancto, quam omnes totius Eccleſiæ Chriſti paſtores congregati in generali Concilio à Romano Pontifice approbato.* Vnde porrò concludit Monachus: *eos nimium præſumere de Spiritu S.* Adde, quòd iſta de Iudice ſententia atheiſmũ tandem invehat. Si enim de rebus credendis ſine Spiritu ſancto

Conſ. 2. *Conſ. 3.* *Conſ. 4.*

nihil rectè judicare poſſumus: unde conſtat Deum eſſe? Religionem eſſe? In codice biblico verbum Dei contineri? Hunc eſſe verum ſcripturæ ſenſum? Ex Spiritus S. indicio. At unde conſtat Spiritus ſancti indicium eſſe verum? Quia Dei Spiritus eſt: quia ſcriptura teſtatur. Atqui oſtendere debebas Deum eſſe? Ejuſq; Spiritum vera dicere? Scripturæ credendum eſſe? Hunc eſſe Scripturæ ſenſum? Ne illud nunc repetam, unde conſtet te Spiritum S. habere? Poſſetne vir cordatus ejuſmodi gyris ab atheiſmo revocari? Idem etiam ex eo ſequitur: quòd rationis judicium ſine illuſtratione Spiritus ſancti è rebus divinis eliminatur. Qui enim nondum credit Deum eſſe, Religionem eſſe, ſacris literis fidem habendam eſſe: is utique Spiritum ſanctum non habet. Ergo ejus ope dijudicare non poteſt. Iam ſi ratio non admittatur ſine Spiritu S. nihil ille judicabit. Adeoq; Atheus perpetuò manebit. Et cur cum diſſentientibus aut impiis de rebus

bus divinis loquuntur? Nonne ut intelligant & convertantur? At, ſi Spiritum ſanctum non habent, ipſis judicibus, nihil intelligunt. Fruſtra ergo loquuntur. Si habent: nec impii ſunt, nec malè ſentiunt. Nimirum, ſi verum eſt, quod ex illorum ſententia Monachus habet: *Neminem poſſe diſcordare à verbo Dei, qui interius illuſtratur, & docetur à Spiritu ſancto.* C. l. pag. 2. pr. 5.

Cap. IV.

Vera de judice ſententia.

ITaque negandum eſt, *nullum certò aſſequi verum ſenſum ſacrarum literarum, niſi interius illuſtratus & edoctus ſit à Spiritu ſancto.* ſtatuendumque: Rationem hominis ſanam cuivis ſufficere ad dijudicandum, tum ex hiſtoriis aliiſq; certis principiis, de quibus infra nonnihil explicabimus, ſacrarum literarum auctoritatem: tum ex ipſis literis ſacris, earumque collatione, tum inter ſe, tum cum principiis dictis, non tantùm omnia, quæ ſimpliciter ad ſalutem ſunt neceſſa- Cap. 7.

ria,

ria; ſed & multa utilia, licet non adeo neceſſaria. Rationis ſanæ enim judicio, quid quiſque velit, quantum cujuſque teſtimoniũ valeat; quantum à vero falſove diſcedat cognoſcitur: quæcunque dubitationes profligantur, quæcunque controverſiæ ſopiuntur, non niſi rationis judicio profligantur & ſopiuntur. Rationis ſanæ judicio omnes diſputationes legitimæ inſtituuntur: & ſua, quiſquis alteri loquitur, dijudicari cupit. Neque quiſquam adferre quicquam contra rationem auſit, quod rationis judicio non comprobatum ipſe velit. ut manifeſto appareat, non poſſe non ſibi ipſis contradicere, quicunque ſanæ rationis judicium oppugnatum ullo modo eunt. Quocirca neceſſarium omnino eſt, illi & ſacras literas intelligendi judicandique facultatem adſcribere. Neque enim tanta eſt ubique ſacrarum literarum obſcuritas. Quid? adeo clara quædam ſunt, ut à quovis audiente aut legente protinus intelligantur. Obſcuriorum autem loco-

rum

rum explicatio non eſt omnibus neceſſaria. Quòd ſi quis tamen ſeriò quærat; Spiritus ſancti ope inveſtigabit. Et hoc ipſum quod intelligit, an à Spiritu ſancto necne ſit, nonniſi rationis ſanæ judicio conſtare poteſt. Neque enim donum illud Spiritus ſancti rationem tollit; ſed attollit, & illuſtrat, ut quod per ſe vel non poterat (quemadmodum in quibuſdam locis Scripturæ obſcurioribus enodandis apparet) vel non ſine difficultate poterat, id ejus ope poſſit, aut facilius poſſit. Nam medium uſurpat Spiritus ſanctus ad operationes perficiendas illud quod in nobis invenit operationibus iſtis accommodatum. Quemadmodum ad videndum oculum, ad audiendum aurem meam adhibet: ita ad intelligendum, & judicandum, certè ratione mea, unico ſcilicet intelligendi judicandiq; inſtrumento, utitur. Præterea quemadmodum quiſque etiam ſacra oculis legere, auribuſq; audire poteſt, ſine Spiritus ſancti interiore ope, aut peculiari ocu-

lorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

lorum auriumque illuſtratione: ita non minus intelligere judicareque eadē ſacra licet rationis ſanæ beneficio, etiamſi nondum acceſſerit Spiritus ſancti illuſtratio. Præſertim in iis, quæ ad ſalutem ſimpliciter ſunt neceſſaria. Hoc ergo conſtituto fundamento, totum Monachi cap. 4, cujus ſummam paulo ante vidimus, corruit. Neque enim dici poteſt, quod ille conſequentiâ tertiâ & quartâ habet: nimium quemque de ſe præſumere, ſi exiſtimet, ſe rationis ſuæ judicio melius, quàm tot Patres in Concilio congregati, Scripturas intelligere. Nihil enim in eo abſurdi eſt. Eò, quòd ratione patres illi, religione an ſuperſtitione ducti, haut dixerim, judicandi partes denegarint: neque ejus ſententiam in iſtis, quemadmodum exiſtimabant, myſteriis audire ſuſtinuerint. Aliàs ſi uti ratione voluiſſent, facilius tot docti Scripturas intellexiſſent, quàm pauci plebei. Neq; ſequitur, quod Monachus capite v potiſſimum ſupponit: nullam fore certitudi-

nem,

nem, nullamq; Eccleſiam. Quòd ſinguli diverſam ſecuturi ſint ſententiam, ſi ſuum quiſque ſequeretur judicium. Vbi enim ſana ratio judicat, ibi id metuendum non eſt. Vide Philoſophiam, vide artes reliquas omnes. In illis omnium confeſſione ratio judicat. Et annon certitudo eſt aliqua? An nondum certus es: utrum bis duo ſint quatuor? An trianguli tres anguli ſint æquales duobus rectis? An cauſa prior effecto? An totum parte majus? An rejectis ſpeciebus omnibus tollatur genus? An poſito genere aliqua ponatur ſpecies? An calceus pedi, pileus capiti aptandus ſit? Nega ſodes. At rationis judicio iſta conſtant. Ejuſdem etiam beneficio multi idem ſtatuent, ut exemplis è Philoſophia artibuſque deſumtis manifeſtè docetur. Quidni idem de divinis dicemus? Erit ergo Eccleſia. erit & certitudo ſufficiens. Nam & ſuos illa gradus habet: nec de ſingulis eſt neceſſaria. Quin imò ſæpe dubitatio, ſtudii & ſapientiæ initium & cauſa eſt.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ſa eſt. Iſtis ergo admiſſis: totum caput quintum Monachi corruit. In eo enim ejuſmodi incertitudinem, diverſitatem, confuſionemque per ſeptẽ conſequentias colligere voluit. Quas an Lutherani Calvinianiq; ſalvis ſuis hypotheſibus, noſtrâque rejectâ ſententiâ refutare ſolidè poſſint, ipſi viderint. Nobis nihil obſtare jam oſtendimus. Supereſt, ut Pontificiorum de judice ſententiam conſiſtere non poſſe paucis doceamus. Id autem ex eo facilè apparet, quod ad atheiſmum, ſi quis vim ejus penitus inſpiciat, nec aliis fulciatur fundamentis, omnino perducat. In circulum enim abit, & contradictionis gladio ſeipſum conficit. Quæro enim: unde conſtet Deum eſſe? religionem eſſe? Biblia Dei verbum continere? huncque verum verbi Dei ſenſum eſſe? Ex Pontificis Romani judicio; vel Eccleſiæ Conciliorumq; à Pontifice approbatorum. At unde conſtat Eccleſiæ, Conciliis, Pontifici Romano credendum eſſe? Quia Spiritu Chriſti re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ſti reguntur, ne errent? At unde conſtat eſſe aliquem Chriſtum? Quis ille ſit? Spiritui ejus credendum eſſe? Pontificemque Romanum hoc Spiritu eſſe præditum? Ex teſtimonio ſacræ Scripturæ. At unde cōſtat Scripturæ illi credendum? Quia eſt verbum ipſius Dei. At jam ante quæſivi: unde conſtet Deum eſſe? ejuſque verbum Scripturis illis contineri? Quid quæris? Iam ante reſpondi, ex Romani Pontificis judicio. An porro moleſtus eris. Noli iraſci, bone vir. Annon vides quàm turpiter in circulo oberres? adeoq; tibi ipſi contradicas? Idem enim per idem probas. Et hac ratione idem ſeipſo, ſuique ipſius reſpectu notius & ignotius: id eſt, vera falſa, falſaque vera dicis. Ita jam & iſto modo vel Atheos converte; vel ad atheiſmum prolabentes retine. At ſi nobiſcum rationi ſanæ judicium deferas: expedita omnia fuerint. Conſtabit Deum eſſe, eumque religione colendum. Conſtabit literarum ſacrarum auctoritas, Conſtabit etiam utrum

Ponti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

Pontificia vera ſit Eccleſia? utrum Pontifex errare neſciat? utrum Chriſti vicarius;an adverſarius ſit?

Cap. V.

De Traditionibus.

SEd jam alterum errorum genus videamus,quod circa normam controverſiarum fidei verſatur: eſtque iterum duplex.Nam primùm verbis quidem rectè rejiciunt Traditiones non ſcriptas, quas Pontificii Normæ aſſuunt: ſolumque Dei verbum ſacris literis comprehenſum ſufficere dicunt. At, ſi religionis ipſorum inſpicias capita, quæ illi ad ſalutem omnino arbitrantur neceſſaria: haut ſcias, an id conſtanter defendere, id eſt, an Traditiones non ſcriptas excludere penitus nequeant. Ejusmodi enim fovent unà cum Pontificiis dogmata,quę nec ſacris literis, nec principiis naturalibus comprobari poſſunt: quid? quæ utriſque repugnant. Id quod de poſterioribus, de principiis nempe Philoſophicis pleriq; eorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

eorum ipſi fatentur. Ideoque etiã ea à norma controverſiarum fidei excludunt, tanquam ad ſcientiã; non ad fidem pertineant. De ſacris autem literis illi manifeſtum evadet, qui modo eas libero animo conſideraverit, & cum ipſorum dogmatis contulerit. Deprehendet enim omnia illa Scripturæ dicta, quæ pro aſſerenda illi ſententia ſua producunt, alio accipienda eſſe ſenſu, quàm illi volunt, eorumque ſententia poſtulat. ſaltem alio intelligi modo poſſe. Inde autem ſtatim ſequitur, ipſorum explicationem non eſſe neceſſariam: adeoque argumentationem minus, quàm debebat, firmam eſſe. Atque hîc non abs re futurum arbitror, ſi id paulò fuſius explicetur, quod quàm plurimis, etiam doctiſſimis viris obſtare video, quominus id, quod res eſt, in diſputationibus, aut examine controverſiarum cernant. Nimirum accuratè obſervandum eſt: aliam eſſe concludendi rationem Opponentis, ſeu Argumentantis peculiariter dicti; aliam Reſpondentis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

dentis. Ille complexionem ſuam theſi Reſpondentis opponit. Hic non theſin ſuam concludit, quod multi exiſtimant; neque concluſioni Opponentis, ſi quidem ratione negationis allata argumentetur, iſta argumentatione ſua contradicit; ſed præmiſſarum alteri. Iam enim ſatis notum eſt, præterita & forma, & antecedente utraque Syllogiſmi parte, ineptè concluſionem negari. Eam autem revera negaret Reſpondens, ſi, quemadmodum exiſtimatur, non præmiſſis, ſed concluſioni Opponentis ſua concluſione contradiceret. Hoc qui obſervaverit, facilè intelliget, ad ejuſmodi argumentationem: Chriſtus eſt mediator. Ergo pœnas peccatorum noſtri loco ſuſtinuit: rectè reſponderi: poſſe quenquam mediatorẽ eſſe, etiamſi non ſuſtineat pœnas alterius loco: idque Moſis exemplo doceri. Tum enim non ita concludit Reſpondens, quemadmodum concludentem facere ſolent: Poteſt mediator eſſe etiam ſi pœnam non ſuſtineat, Ergo non

ſuſtinuit pœnam. Vel: Moſes nõ ſuſtinuit aliorum pœnam, ergo nec Chriſtus. Hoc enim eſſet ineptè concluſionem opponentis negare. Ita ergo concludit: Poteſt aliquis eſſe mediator, qui pœnam alterius loco non ſuſtinet: ut Moſes. Ergo neceſſe non eſt, omnem eum, qui mediator noſter eſt, pœnam peccatorum noſtrorum ſuſtinere. Hoc enim modo opponentis prima, ſeu major propoſitio negatur, eique contradicitur. Inde autem patet, quum falſa ſit præmiſſarum altera, opponentem nihil ſolidi poſſe concludere. Deinde & hoc animadvertendum eſt, quod immeritò ille reſpondendi modus vapulet, quo dicitur: ſecus intelligi verba poſſe, quàm ab opponente explicantur. Neque enim ita reſpondens concludit: poſſunt aliter intelligi; ergo debent. Satis ineptè. Sed & ruditatem illi ſuam produnt, qui ita reſolvunt. Ita ergo concludit: poſſunt aliter, nimirum commodè, ſine torſione & abſurditate intelligi: Ergo non eſt neceſſe ita acci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

cipi, quemadmodum opponens voluit. Ejuſmodi autem collectio pro reſpondente legitima eſt. Officium enim ejus eſt, negare alteram antecedentis Syllogiſmi oppoſiti partem. At qui negat, contradicit: & rurſus qui contradicit, negat. Hinc univerſalis enunciatio, allatâ etiam inſtantiâ ſingulari, negatur. Fit enim contradictio: Omnis, &, non omnis. Itaque quũ opponens verba Scripturæ affert pro ſententia ſua, eam neceſſariò ſuam continere vult ſententiam. Certè velle debet. Alioqui nihil concludet. Neceſſarium autem dico, non quod contingentiæ, ſed quod falſitati, aut probabilitati cuidam non ſatis validæ oppoſitum eſt. Itaque neceſſariò idem hic eſt, quod omnino & veriſſimè, ita, ut contradictoria plane falſa ſit. Huic ergo *neceſſario* contradicitur rectè per *non neceſſarium*. Neceſſarium autem eſt, quod non poteſt eſſe aliter. Ergo, quod poteſt aliter eſſe, eſt non neceſſarium. Quocirca, ſi reſpondens dixerit, poſſe aliter verba acci-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ba accipi:rectè contradicit opponentis enunciationi, quæ ponebatur neceſſaria. Atque hac ratione ſuo ſatisfecit officio. Si enim contradictoria hæc vera eſt; falſa utique erit illa opponentis, cui contradicitur, enunciatio. Et porrò ſi ea falſa eſt; nihil ex ea concludi legitimè poteſt. Hæc prolixius propterea monēda fuerunt; quòd plurimis harum rerum ignorantia, aut neglectus obſtet, quominus intelligant, illam, quam de multis doctrinæ Chriſtianæ capitibus fovent, ſententiam nequaquã ex ſacris probari literis poſſe. Intelligent autem nullo negotio, ſimul ac alium verborum ſcripturæ ſenſum non abſurdũ eſſe poſſe animadverterint. Neque porrò difficile fuerit cognoſcere, multa ipſis etiam ſacris literis repugnare, quæ ipſi exiſtimant neceſſaria religionis capita. Saltem dogma de tribus in unica divina eſſentia perſonis examinetur: de æterna, & perpetuò durante filii Dei ex eſſentia Patris generatione: de incarnatione;de hypoſtatica unio-

ne: de Chriſti meritoria loco noſtri Deo Patri præſtita ſatisfactione; de peccato originis; de pædobaptiſmo; & quis enumeret omnia? Quod ſi ergo hæc talia nec ex ſacris literis, nec ex principiis philoſophicis defendi poſſunt; & tamen ſunt, ut illi volunt, ad ſalutem neceſſaria: quî tandē poſſunt Traditiones non ſcriptas rejicere? quî Pontificios refutare queunt? Dicant ſolas ſacras literas ſufficere, ut Traditionibus non ſit opus; ſtatim audient: Trinitatem, pædobaptiſmum, & ſimilia ex ſolis ſacris literis probari, ac defendi non poſſe: Ergo ſolæ ſacræ literæ non ſufficiunt: Ergo aliquid credendum, quod non niſi Traditionibus non ſcriptis probari poteſt. Admiſſis autem in uno atque altero Traditionibus iſtis; nihil tam abſurdum erit, quod earũ auctoritate defendi nequeat. Nulla enim cauſſa eſt, cur in illis valere, in iſtis non debeant. Præſertim ſi illa non minus abſurda, quã iſta rationi eſſe appareant; nec magis illa, quàm iſta ſacris literis
aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

aut Philoſophiæ ſint conſentanea. Cujuſmodi eſſe ea, quæ diximus, inſpicienti ſaltem eorum libros qui iſta oppugnarunt, manifeſtum erit. Neq; obſtat, quod Pontificii talia ex ipſa Scriptura ſacra probare ſoleant. Nam non ideo id faciunt, quòd ſine Traditionibus non ſcriptis ex ſolis ſacris literis illa defendi poſſe exiſtiment; ſed quòd & Scripturę ipſius auctoritatẽ, & talem Scripturæ ſenſum non niſi Traditionum, & Eccleſiæ auctoritate, rata & indubitata ſupponant. Quicquid ergo ex Scripturis illi probare videantur; in Traditiones tamen reſolvitur. Hinc non veriti ſunt quidam manifeſtè fateri, non niſi Traditionibus illa defendi poſſe. Quemadmodum in *Hoſio*, *Wujeko*, *Vega*, *Poſſevino*, iiſque qui colloquio Ratiſbonenſi interfuerunt, *Gretſero*, & *Tannero* videre eſt. Patet ergo Lutheranos & Calvinianos, quamdiu Trinitatem illam, Pædobaptiſmum, Incarnationem, hypoſtaticam unionem, aliaque ſimilia ad ſalutem creditu neceſſaria dixe-

rint, non poſſe negare traditionibus non ſcriptis opus eſſe: nec aſſerere ſacras literas ſine illis ſufficere. Hoc vero ſi ſit: Iam cuivis manifeſtum eſt eos ſolide Pontificios nequaquam refutare poſſe.

Cap. VI.

De principiis Philoſophicis.

DEinde in eo etiam non leviter peccant, quod ita ſolas ſacras literas pro norma fidei ponant, ut principia veritatis, ſive naturâ nota, ſive è rerum aliarum conſideratione deducta, philoſophica vocant, inde excludant. Solent enim alios vehementer eo nomine reprehẽdere, quòd Theologica ad principia philoſophica exigant. Theologiamque iſtorum Philoſophicam, Metaphyſicam, Phyſicam, Mathematicam, rationalem, humanam ea de cauſa cõtemtim appellare non dubitant. Hinc nata Monacho ex Lutheranorum, Calvinianorumque mente hypotheſis: *Non eſt alia ratio certe cognoſcendi veritatem in materia fidei, quam præ-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

præmiſſa oratione conſulere Spiritum ſan-ctum ex ſacris literis. Eo autem poſito; quid invenient, quod conſtanter capiti 3 Monachi reponant? cumprimis vero conſequentiis ſeptem prioribus? Colligit enim ex illa hypotheſi; *neminem quicquam credere, quod ad divina attinet, poſſe, niſi ex ſacris literis ipſe hauſerit.* Quid enim ſi aliis credendo falleretur? Et porro: *Eos qui propter ætatem, aut propter defectum ſacri Codicis, non ſciunt, vel eis non vacat legere ſacra Biblia, non poſſe veram habere fidem.* Rurſus: *Nullum Chriſtianum poſſe certo ſcire, illos libros, qui in Bibliis continentur, eſſe à Spiritu ſancto dictatos, niſi de hac quæſtione præmiſſa oratione, conſulat Spiritum ſanctum: ex iiſdem libris, qui continentur in Bibliis & revocantur in dubium, ſintne à Spiritu ſancto, necne.* Conciliis enim & Patribus non audebit credere. Principia philoſophica ſunt exploſa. Quid ergo aliud reſtat? Hinc porro concludit: *Ergo ſinguli Chriſtianorum ſub pœna mortis æternæ tenentur præmiſſa oratione & conſulto Spiritu ſancto hanc maximam quæſtionem determinare*: adeoque *perlegere omnes ac ſingulos*

Conſ. 1. 2.
Conſ. 3.
Conſ. 4. 5.
Conſ. 6.

libros utriuſque Teſtamenti, diverſaſque editiones Bibliorum, verſioneſque ab Hebraico ac Græco idiomate in Latinum, Ger-
Conſ. 7. *manicum ac Bohemicum accuratiſſime diſquirere, & ad invicem collationare, ac tandem definire de canone librorum ſacrorum, de verſione & editione emendatiſſima, ut ex illa depromant Bibliſtæ omnes fidei*
Conſ. 10. *articulos.* Idque non viri tantum, ſed *& mulieres, adoleſcentes, docti pariter & indocti, cujuſvis ſint conditionis, tenentur facere, ſub pœna æternæ damnationis.* Quis autem ea impoſſibilia & abſurda eſſe non videt? Et tamen è Lutheranorum Calvinianorumque ſententia, qua ita ſacra Scriptura ſola controverſiarum norma dicitur, ut philoſophica, quæ vocant, excludantur principia, ea omnia colliguntur. Quid quod & Gentiliſmus inde non obſcure ſequatur? Quæro enim unde conſtet religionis Chriſtianæ veritas? Ex ſola Scriptura. At unde conſtat Scripturæ eſſe credendum? Quia eſt Dei verbum. Vnde iſtud noſti? Quia Scriptura dicit. At jam ante quęrebatur unde illi tanta auctoritas ut ei merito credatur.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

tur. Quî poteſt homo cordatus, niſi firmiora argumenta habeat, Chriſtianam religionem non abominari, vel ſi recepiſſet, non abjicere?

CAP. VII.

Vera de Norma ſententia.

ITaque negandum eſt, *non eſſe aliam rationem certo cognoſcendi veritatem in materia fidei, quam præmiſſa oratione conſulere Spiritum ſanctum ex ſacris literis.* Statuendumque: Sacras literas omnino normam eſſe controverſiarum fidei. Et hactenus quidem ſolas: quatenus Traditiones non ſcriptæ, quocunq; tandem nomine veniant, penitus excluduntur. Cæterum ad ſacrarum literarum auctoritatem & genuinam mentē dignoſcendam, principia etiam illa, quæ philoſophica appellant, advocanda eſſe. Non quòd quemvis velimus eſſe Philoſophum; ſed quòd illis docti philoſophicas diſciplinas ſive ſuperſtruant, ſive conſtituant: quæ rudibus etiam vel naturâ vel ob-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ſervatione ſunt cognita. Saltem in particularibus; licet illi generalia inde exſtruere neſciant axiomata. Aut in genere; licet quæ in diverſis ſpeciebus eorum differentia ſit, ignorent. Docti alia in natura rerum omniū fundata eſſe dicunt. Qualia ſunt Metaphyſica: Effectum cauſâ poſterius: Totum parte majus: Quodlibet eſt, aut non eſt; aliaque ſimilia. Sic & Logica: Ab univerſali ad particulare valet conſequentia. Alia Phyſica vocant: ut, oculus videndi, auris audiendi, ratio intelligendi inſtrumentum eſt. Alia Mathematica: ut, unum non eſſe tria. Alia ad honeſti, inhoneſtique rationē pertinent: qualia ſunt Ethica, Politica, Oeconomica. Alia denique aliorum nituntur teſtimonio: ut fides, tum hiſtoriis, tum viris honeſtis & gravibus etiam communiter habita. Hæc & ſimilia, quæ nemini ſano ignota ſunt, ſtatuendum eſt, eſſe fundamenta cognitionis noſtræ, quoad auctoritatem ſacrarum literarum, & quoad verum earū ſenſum. Quare

qui iſtis, ſive naturali ingenii bonitate, ſive experientia vel mediocriter inſtructus eſt: is & ipſas Scripturas, ex iſtis principiis, ſacras eſſe cognoſcet: & quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria ex Scripturis nullo negotio dijudicabit. Modò diligentiam adhibeat, & ab affectibus ac præjudicatis opinionibus ſibi imponi minime patiatur. Maxime vero, ſi & Spiritus ſancti donum à Deo petat. Quid quod principiorum iſtorum ope etiam is, qui ſacras literas vel legere non poteſt, vel nunquam vidit, vel exſtare neſcit: modò ab alio aliquo ſummam religionis Chriſtianæ audiat; tantum diſcere poſſit, quantum ei ad ſalutem ſit neceſſarium? Neque enim admittendum eſt quod Monachus ex adverſariorũ ſuorum mente ſupponit: *Omnibus ac ſingulis in negotio fidei indubitanter credendum eſſe, quod non diſcordent à verbo Dei.* Primùm enim alia ſunt neceſſaria, alia tantum utilia. Et rurſus, alia magis, alia minus. Itemque alia ſimpliciter, ſeu omnibus ad ſalutem neceſſa-

C. I. pag. 2 *Pr.* 4.

ria vel utilia; alia ſecundum quid, ſeu quibuſdam ad alios erudiendos. Atque hinc capitis 3,conſeq. 7. 8. 9. 10. 11. corruunt. In illis enim ſingula ſingulis neceſſaria eſſe ponitur. Quod falſum eſſe diximus. Deinde fidei certitudo ſuos habet gradus. Quemadmodum libræ lanx altera extra æquilibriũ eſt, non tantum ſi perpendiculariter ad horizontem depreſſa ſit; verum etiam ſi in intermediis, intra horizonti parallelam, eique perpendicularem lineam verſetur ſpatiis. Et quemadmodum à Sole illuminatur tellus, ut videre quidvis clare poſſis, non tantum quando in ipſo meridie altiſſimus eſt; verum etiam quando non ita pridem ortus eſt: adeoque quamdiu paulò ſupra ortus occaſuſque puncta cernitur. Atque hinc patet quid ſentiendum ſit de Monachi
Pag. 13. poſtulato capitis 2, prop. 5; *Fides*
Cap. 4. *Chriſtiana excludit omnem dubitationem,*
pag. 15. *ſed eſt certa & infallibilis*. Et huc referri poteſt, quod ſupra de certitudine diximus. Apparet etiã quo loco capitis 3 conſequentia prima

Mona-

Monachi habenda ſit: *nullum*, nempe, *Chriſtianorum debere in materia fidei ulli hominum, ulliſve Conciliis credere.* Tandemque totum hinc caput 3 Monachi nullo negotio refutabitur. Neque enim ex Conciliorũ, Patrum, aut Traditionũ non ſcriptarum auctoritate, quod ille putat, ſacræ ſcripturæ conſtat canon; ſed ex principiis iſtis quæ ante paucis attigimus. Neq; quicquam inde abſurdi ſequitur: quum ex adverſo Pontificiorum de Norma ſententia, ut alia abſurda, ita & atheiſmum ſecum trahat. Si enim, quemadmodum de ſe Monachus dicit non procul à fine libelli, *hactenus non credidit ſacram eſſe ſcripturam, niſi commotus auctoritate Eccleſiæ*; quæſo, unde tibi conſtat de auctoritate Eccleſiæ? An ex Scriptura? At de ea jam ante quærebatur. Sit qui nec Scripturæ credit, nec Eccleſiæ auctoritatem admittit: quid illi facias? Niſi ad noſtrum confugias medium, fruſtra laboraveris; nec ab atheiſmo retrahere quenquam poteris. Antequam hinc abeamus, duæ prius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ſubvertendæ ſunt hypotheſes, quibus Monachus ſuas quaſdam ſuperſtruxit conſequentias. Prior eſt: *quod non poſſit eſſe Chriſtianus, vel Eccleſiæ veræ membrum, qui in errore aliquo hæret: utut non ex pravitate ejus id fiat; ſed ex ignorantia aut infirmitate: neque in re tali, quæ ipſum ſalutis fundamentum concernit.* Hoc autem falſum eſſe cum multis aliis; tum imprimis Act. 11, & Rom. 14, oſtenditur. Illic enim erant, qui gentibus prędicari Euangeliũ ægre ferebant: hic infirmos ferre jubemur ab Apoſtolo. Iſta ergo hypotheſi deſtructa, quicquid cap. 5, conſ. 1; & cap. 6, conſeq. 3, 4, Monachus diſputat, plane corruit. Poſterior ejus hypotheſis eſt: *quod abſurdum ſit hodieque inquirere, verumne an falſum ſit, quod olim à Conciliis damnatum eſt.* At hoc ipſum minime abſurdum cenſeri debet: quum etiam quod bonum & rectum fuit aliquando in conciliis, damnatum eſſe legamus. Quemadmodum de omnibus illis quæ à Pontifice Romano approbata non ſunt, ipſi pronunciant Pontificii. Nulla autem cauſa

ſa eſt, cur non idem in reliquis fieri potuiſſe ſtatuendũ ſit. Modò ne id quod in controverſia eſt, an ſcilicet Pontifex infallibilis controverſiarum judex ſit, tanquam certum ſupponatur; ſed rationi ſanæ ad normam indubitatorum veritatis principiorum liberum permittatur judicium. Itaque & cap. 6, conſ. 1,2, planè pereunt. Neq; tamen neceſſe eſt in omnia ſingulos inquirere: Simplicioribus ſufficiunt neceſſaria; quæ & pauca ſunt & cognitu facilia. Neque de hæreticorum nominibus aut mente multum laborandum. Sufficit ſi rem ipſam veram aut falſam eſſe cognoveris.

Cap. VIII.

An mortui propriè vivant?

ADhuc in genere vidimus eos qui Lutherum Calvinumque ſequuntur in religione duces, non poſſe ſolidè refutare Pontificios. Iam ſi ad particularia deſcendendum eſſet, ingens ſe nobis offerret excurrendi campus. Verùm

ne

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ne conſtitutos brevitatis terminos trãſiliamus, pauciſſima paucis tantum delibabimus. Oſtendemus autem primùm; eos fundamenta vel ſuppeditare, vel cõſervare graviſſimorum errorum qui vigent apud Pontificios. Deinde talia eos docere, quæ immeritò non adverſus Pontificios tantum; ſed & adverſus ipſiſſimam religionis Chriſtianæ animam, veram nempe pietatem defenduntur. Et ad prius quidẽ genus pertinet, quod mortuos vivere ſtatuunt. Abſurdum videbitur. Et certe res abſurdiſſima eſt. Attamen illi credunt. Exiſtimant enim animas hominum, eo ipſo momento, quo per mortem à corporibus ſeparantur, deferri vel ad cœlum, ibique gaudium ſentire cœleſte, & omnibus perfrui bonis, quæ Deus ſuis pollicitus eſt; vel ad infernũ, ibique torqueri & cruciari igni illo inextinguibili. Idque, uti dictum, animabus ſolis à corporibus ſeparatis tribuunt, etiam ante ipſorum hominum reſurrectionẽ: Id eſt, dum adhuc ſunt mortui.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

Illa autem cõtingere non poſſunt niſi viventi. Quod enim non vivit, id neque ſentit, adeoque nec voluptate fruitur, nec dolorem patitur. Credunt ergo reipſa mortuos vivere. Eo nimirum modo, quo Petrum, Paulum, alioſq; demortuos in cœlis vivere aſſerunt. Hoc autem fundamentum eſt nõ tantum *Purgatorii*, ſed & nefandæ iſtius idololatriæ, quæ in *ſanctorum demortuorum invocatione* apud Pontificios cernitur. Tolle illud; & iſtis nullus erit locus. Quorſum purgatorius ignis, ſi animæ à corporibus ſeparatæ nihil ſentiant? Quorſum preces ad Mariam, Petrum, Paulum, alioſque demortuos, ſi nec preces audire, nec pro te intercedere queant? Contra ſi illud admittas, haud facilè ſanctorum invocationẽ evertes. Etſi verò res per ſe talis ſit, quæ cuivis abſurda videri mereatur; videbimus tamen annon in Scripturis ejus habeatur contrarium. Offert autem exemplo ſeſe Chriſti argumentatio illa, quâ probat *futuram martuorum reſurrectionem*, ex eo, *quod*

Deu.

Deus ſit Deus Abrahami, Iſaaci, & Ia-
Matth. XXIII. 31 32. *cobi: non ſit autem Deus mortuorum, ſed viventium*: unde concludit *eos Deo vivere*, id eſt, à Deo in vitam revocatum iri, ut is ſe Deum eorum ſeu benefactorem illis exhibere poſſit. Hæc argumentatio fallax omnino eſſet, ſi etiam antequam reſurgerent, gaudiũ cœleſte perciperent. Tum enim Deus ipſorum Deus ſeu benefactor eſſet, nempe ſecundum animas, etiamſi nunquam reſurgerent corpora. Similiter fallax Pauli Apoſtoli argumentatio eſſet, qua probat reſurrectionem mortuorum ex eo:
1. Cor. XV 30. 31. 32. quia alioqui, *qui in Chriſtum credunt fruſtra periclitarentur omnibus horis, fruſtra tot calamitates propter Chriſtum ſuſtinerent*: quod ſuo ipſius exemplo docet. Deinde, quia alioqui ſatius ſit illius Epicuri de grege porci cantilenam concinere: *Edamus & bibamus, cras enim morimur.* Summa, Chriſtiani hominum omnium eſſent miſerrimi. Certe hoc falſum eſſet, ſi pii ſtatim à morte ſecundum animas cœleſti fruerentur fælicitate; impiique cruciatum

tum ſentirent. Non fruſtra enim illi calamitates tolerarent; nec impunè iſti voluptates carnis ſectarentur. Eſſentque pii impiis longe fæliciores, etiamſi corpora ipſorum nunquam reſuſcitarentur. Quum verò longè abſurdiſſimũ ſit dicere, Chriſtum Apoſtolumq; male argumentatos fuiſſe: an parum liquet falſum id eſſe dogma quo ſtante Chriſto Apoſtoloque tanta abſurditas adſcribenda eſſet? Deinde, cur Petrus *ſalutem animarum in ultimum tempus*; cur Paulus *coronam juſtitiæ in illum diem judicii* rejiceret? Cui bono judicium inſtitueretur? Qui de piis V. F. dici poſſet, eos *non accepiſſe promiſſionem: Deo pro nobis aliquid melius providente, ne ſine nobis conſummarentur*? ſi cujuſq; anima ſtatim à morte etiam ſine corpore cœleſtem ſentiret fœlicitatem? Sed & rei ipſius natura id falſum eſſe docet. Nonne vivere, mori, ſentire, audire, agere ſunt hominis totius, ſeu compoſiti ex anima & corpore? Nonne corpus animæ inſtrumentum eſt, ſine quo illa functiones ſuas exequi mini-

1.Pet. I. 5.

Heb. xi, 40.

minimè poteſt? Vt opifex artem operandi novit quidem; ſed niſi inſtrumenta ad manus ſint, effe-ctum producere nequit. Claudatur oculus, non videbit anima; utut vis videndi nequaquã ei adempta ſit. Simul atque enim inſtrumentum reddideris; protinus homo videbit. Itaque animæ à corporibus ſeparatę nec mortuę ſunt, nec vivunt, adeoque neque gaudium, neque dolorem ſentiunt. Ea enim totius ſunt compoſiti. Scriptura autem dicit, mortuos non eſſe: Spiritum redire ad eum qui dedit: & de piorum ſpiritibus, eos in manu Dei eſſe. At in reſurrectione cũ corporibus jungentur. Et tum nactæ inſtrumenta operationes ſuas exerent.

CAP. IX.

An Chriſtus in cœlo carnem & ſanguinem adhuc habeat.

PRæterea, quis eſt qui non vehementer ab iſto *Transſubſtantiationis* commento abhorreat? Quo panis in ipſam Chriſti carnem, vi-

numq;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

numque in ſanguinem commutari creditur. Quis eſt, qui idololatricum miſſæ ſpectaculum non fugiat? quo panis adoratur, quo ſacerdos creare ſuum creatorem dicitur. At iſtis non ſegniter militat Lutheranorum *oralis manducatio*, & *conſubſtantiatio*; quâ in, cum, & ſub pane & vino carnē & ſanguinem Chriſti reipſa adeſſe ſtatuunt. Minus quidem; attamen aliquantum ſuſtinet Calvinianorū commeſtio ipſius ſubſtantię carnis & ſanguinis Chriſti. Etſi enim ſpiritualem illam appellent, fideque fieri dicant: inane tamen id eſt effugium. Neque enim explicari, ipſis fatentibus, ulla ratione poteſt, quomodo fides carnis ſanguiniſque ſubſtantiam percipere, ſibique applicare poſſit. Credere poſſum eſſe ſubſtantiam aliquam. Sed hoc aliud eſt, quàm fide percipere ipſam ſubſtantiam. Hoc enim explicari poteſt facilè; at illud, ut ipſi fatentur, minimè. Itaque ſi revera comedunt ſubſtantiā carnis ſanguiniſque Chriſti, à Lutheranorum orali manducatione parum

rum aberunt. utut forte non in cum & ſub; ſed vel per, vel ſupra vel infra, vel circa, vel alio modo extra panem vinumq; percipiant. Maximi verò momenti eſt, in quo conſentiunt pariter omnes, quod Chriſtum in cœlo exiſtentem hodieque carnem & ſanguinem habere credant. Quod ſi quis neget: totum illud Miſſæ & Transſubſtantiationis ædificiũ penitus corruit. Et eſt tanti, ut propterea etiam oralem & realẽ ſuam ſubſtantiæ carnis & ſanguinis Chriſti comeſtionem abjiciant. Falſum autem id eſſe, adeoque meritò negandum, quod Chriſtus etiam in cœlo hodieque exiſtens carnem & ſanguinem habeat: vel ex eo manifeſtum eſt, quod Apoſtolus expreſſe dicit: *Hoc autem dico, Fra-*
1.Cor.xv 50. *tres, quod caro & ſanguis regnum Dei hæreditare non poſſunt.* Quia vero Chriſtus regnum Dei hæreditavit; an parum liquet carnem eum & ſanguinem nunc non habere? Nec eſt, quod quiſquam excipiat *carnis ſanguiniſque* vocibus, non ipſam carneam ſubſtantiam; ſed mores car-

nales

nales denotari. Primum enim oſtendi nullo Scripturæ loco poteſt, voces illas conjunctim poſitas *carnem & ſanguinem* ſignificare carnales mores. Nam tribus tantum in locis, præter eum, de quo modo controverſamur in univerſo N. F. habentur. Et ubique infirmitatem humanam aut aliquid ſimile, quod ex ſubſtantia carnis & ſanguinis provenit, aut illi ſuâ naturâ adhæret, denotare poteſt. Deinde quod ipſa carnis ſanguiniſque ſubſtantia hîc intelligatur, patet, tum ex continuò adjectis Apoſtoli verbis, tum ex univerſa ejus diſputatione, cujus verba illa pars ſunt. Subjungit Apoſtolus ſtatim: *neque corruptio incorruptibilitatem hæreditat.* Nimirum rationem reddens, quare de carne & ſanguine iſta affirmaſſet: ſcilicet quia corruptibilis ſit; non poſſit autem, niſi incorruptibile, cœlum hæreditare. Quum autem non moribus, ſed ſubſtantiæ carnis ſanguiniſque competat eſſe corruptibile: manifeſtum eſt, de ſubſtantia ipſa hîc ſermonem eſſe. Idem & diſputatio

Mat. XVI 17.
Gal. I, 16
Eph. VI, 12.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

putatio tota oſtendit. Hujus enim ſcopus eſt: docere alia habituros in reſurrectione homines corpora, quàm qualia hîc habent. Probaverat enim Apoſtolus multis argumentis futuram mortuorum reſurrectionem. Idque uſque ad finem verſus 34. Inde poſtea incipit removere objectionem ejuſmodi: Quia corpora hominum demortuorum intereunt, & corrumpuntur, ideo non reſurgent homines. Qualia enim haberent corpora? Reſpondet autem: id non obſtare. Docetque habituros corpora ab illis quæ corrupta ſint diverſa. Idq; ſimilibus quibuſdam declarat. Et porrò à verſu 42 deinceps oſtendit, qua in re diverſitas illa corporum conſiſtat. Nimirum non in moribus, ſed in ipſa ſubſtantia: aut iis qualitatibus, quæ ipſius ſubſtantiæ diverſitatem inferant. Quod quum hæc ſint corruptibilia; illa futura ſint incorruptibilia. Hæc indecora; illa glorioſa. Hæc infirma; illa potentia. Hæc animalia, illa ſpiritualia. Et pòſt Chriſtus ipſe dicitur fa-

ctus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ctus in ſpiritum vivificantem. Spiritus autem carnem & ſanguinem non habet. Hinc etiam non ex terra terrenus; ſed ex cœlo eſſe dicitur. Deinde de ventre noſtro idem ſcribit Apoſtolus: *illum abolitum iri.* Et de toto corpore hoc noſtro: *ſcimus quod quum terrena noſtra domus tabernaculi diſſolvetur, ædificium ex Deo habemus, domum non manu factam, æternam in cœlis. Etenim in hoc ſuſpiramus habitaculo noſtro, quod ex cœlo eſt, indui cupientes. Noſtra autem corpora conformia erunt glorioſo Chriſti corpori.* Vnde conſequitur etiam ventrem, omnemq; ſubſtantiam carnis & ſanguinis Chriſti abolitam ac deſtructam; &, contra, ipſum ſpirituale ac cœleſte corpus nactum eſſe.

I.Cor.VI, 8.
2.Cor.V, 1.2.
Phil.III 21.

Cap. X.

An poſſibile ſit Chriſti præceptis obedire.

SEd nunc tempus eſt, ut videamus qua ratione immerito illi non adverſus Pontificios tantum, ſed & adverſus ipſam pietatem arma ſumant. Duplici id modo

faciunt. Nam & impoſſibile eſſe docent ſecundum Chriſti præcepta vivere; & minimè neceſſarium. Prius illud totidem verbis aſſerere non erubeſcunt. Quamvis in eo nequaquam ſibi conſtent. Omnia enim quæ adverſus alios docent, ſcribunt, loquuntur, tanquam bona defendunt. Et interim boni ſe quicquam facere poſſe negant. Sed & præterea ex eo ſequitur, quod liberum homini in rebus ſpiritualibus voluntatis arbitrium adimunt, idque ſervum faciunt: id eſt, tale, quod non modo plane ineptum ſit ad obediendum; ſed & quod maxime præceptis Chriſti ſuâ naturâ repugnat. Vtut enim ſint, qui ad mala ſeu peccata non ſervum, ſed liberum hominis arbitrium pronuncient. Non poſſunt tamen, niſi ad bonum etiam liberum dicere velint, idipſum conſtanter aſſerere. Liberum enim id demum eſt, quod in hanc ſeſe partem flectere poteſt; & non flectere. Cæterum, ſi non poſſit non eò ſeſe flectere, liberum non eſt. Quemadmodum ignis non liberè,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

re; ſed naturali neceſſitate urit. Non poteſt enim non urere. Quocirca, ſi voluntas non neceſſariò, ſed liberè ad mala ſeſe flectit: poterit etiam ſeſe non eò flectere. id eſt, poteſt abſtinere. Abſtinere autem à malo, ſeu peccato, eſt obtemperare præceptis Chriſti. Ea enim tranſgredi, peccatum eſt. Non tranſgredi, eſt illis obtemperare. Ergo ſi à tranſgreſſione libere abſtinere homo poteſt: libere obtemperare poteſt. Quod ſi admittere nolint; jam nec ad malum liberam eſſe hominum voluntatem dicere poſſunt. Sed neceſſario eum mala facere ut ſtatuant, neceſſe eſt. Atque id duplici porro errore fulciunt. Alter de *peccato originis* eſt: quo propter Adami lapſum omnes homini ad Deo obtemperandum ademtas eſſe vires, contra omnem Scripturam & naturam ſtatuunt. Alter de *prædeſtinatione*. Quam non ejuſmodi Dei decretum faciunt, quo in genere jam ante jacta mundi fundamenta conſtituit eos omnes ſalvare, qui ipſi eſſent obtempera-

turi; relictis iis omnibus, qui forent refractarii. Ex eo enim nihil abſurdi ſequitur: hominique ſua, quemadmodum par eſt, voluntatis libertas relinquitur. In ipſius enim hominis poteſtate eſt, quando quiſque jam vivit, & verbum Dei audit, ipſi vel obtemperare, vel reſiſtere. Vnde porro in tempore à Deo vel eligitur vel rejicitur. Cæterum tale illi decretum volunt, quo Deus nominatim de unoquoq; ſententiam jam tulerit, antequam mundus ille conſtitueretur, utrum ſalutem adipiſci; an damnari debeat. Etſi vero quidam id abſolute factum eſſe negent; ſed reſpectum ad fidem prævifam ponant. Quia tamen fidẽ ipſam non hominis poteſtati aut voluntati relinquunt; ſed Deo in ſolidum adſcribunt: & præterea jam olim quis crediturus necne eſſet Deo ab æterno conſtitiſſe aſſerunt: non poſſunt non totum ab abſoluta Dei voluntate ſuſpendere. Nimirum eò res tendit, ut homines, ſatanaſque penitus excuſentur, omniſque peccatorum & damnatio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

nis culpa in Deum transferatur. Quî enim vituperandus homo eſt; ſi non facit, quæ facere nullo modo potuit? Quî Satan ſeducere homines dici poteſt; ſi vel veram illi viam ingredi; vel deſerere eam plane nequeant? Deo autem illi (exhorreſco referens)quanta imprudentia, ſapientiſſimo? quanta injuſtitia, juſtiſſimo? quanta hypocriſis, fideliſſimo? quanta malitia, optimo adſcribitur? Quæ enim major poteſt eſſe imprudentia, quam ſollicitum eſſe quenquam de iis quæ ſcit eſſe impoſſibilia? Nempe ut homines ſtudeãt pietati: quam ne velle quidem poſſe probe norit. Quæ injuſtitia poteſt eſſe major, quàm punire quenquam quòd non fecerit ea quæ facere nullo modo, te ita decernente, potuit. Annon hypocriſis & deceptio eſt, omnibus polliceri præmium, quod tamen paucis te daturum decreveris? Denique nonne deteſtabilis eſt pravitas, pœnæ quenquam nominatim deſtinare; atque ne ſine cauſa puniri videatur, peccati in ipſo, aut ſal-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

tem defectus ejus rei, quâ ſolâ pœnam effugere poterat, auctorem eſſe: ut habeas ſcilicet, quod jure punias? Nimirum Deum illi Tiberio ſimilem faciunt. Is Sejani filiam per carnificem necari juſſerat innocentem, & virginem, quã triumvirali ſupplicio affici inauditum erat. Itaque ut prætextus eſſet, virginem per carnificem conſtuprari juſſit; & poſt occidi. Ita Deum cum hominibus agentem blaſpheme fingunt. Sed præterea quis religioni, quis pietati, quis improbitati, quis præmio, quiſve pœnæ locus; ſi ne velle quidem bona, nedum facere quiſquam poſſit? Quorſum exhortationes, dehortationeſque, quarum plenæ ſunt ſacræ literæ; ſi ne velle quidem obſequi homo queat? Quid quod expreſſe Scriptura gravia eſſe Dei prę̨cepta negat? Quid? levia & ſuavia pronũciat. Quî ergo illi impoſſibilia dicere audent? Itaq; quum iſtud ſit abſurdiſſimum: quî poſſunt cõtra diſputantes ſolide refutare Pontificios? Nonne potius efficiunt, ut quicunq; probioris ſunt animi,

Tacit. v. annal. Dioniſ. l. VIII. H. R.

I. Ioan. v 3. Matth. XI, 30.

animi, Pontificiis, ob idipſum, quod tam horrenda abſurda rejiciant, favere incipiant? Nonne univerſam religionem euangelicam ſuſpectam reddunt? Exiſtimant enim multi, meliora non edocti, imo ita à magiſtris ſuis inſtituti, iſta genuina euangelicæ religionis dogmata eſſe: quæ tamen cum Euangelio Chriſti ſincero nihil omnino commune habent. Exemplo res erit illuſtrior. *Falſam eſſe hanc hæreticorum* (inquit Efferen. 3, de ratione ſtatus, puncto 2) *de impoſſibilitate continentiæ carnis doctrinam, quia ipſum Deum D. N. arguit injuſtitiæ, cum ille ſtrictiſſime mandet, fornicationem, & immunditiam carnis ne quidem nominari inter Chriſtianos, ipſi impoſſibilem eſſe continentiam doceant. Sanctus Paulus Apoſtolus damnat opera carnis, dicens, Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Idem, ut alios Eccleſiæ doctores prætercam, ſuadet, & præfert nuptiis virginitatem. Hoc ſcitis, carnis mancipia, hæretici. Aut ergo falſum docetis; aut Chriſtus D. N. injuſtè impoſſibilia requirit, & Apoſtolus ſtultè virginitatem impoſſibilem laudat, & ſuadet. Hæc dura ſunt, &*

Hæretici excuſant ſuam libidinem, accuſando Deum

Diſcurſus ad homines hæreticos, de illorum incontinentia.

eccleſiæ judicanda relinquo. Ego, quia impurâ doctrinâ Remp. Chriſtianam commaculatis, politicè vobiſcum agam. Et primò candidè quæro: ſi impoſſibilis eſt carnis continentia, quomodo dum unus conjugum diutius infirmatur; alter ab adulterio cavebit? quomodo maritus in negotiis, in legationibus, vel bello foris occupatus, de honeſtate uxoris ſecurus erit, quam religioſe incontinentem credit? Quomodo filias veſtras, ut virgines, poſt nubiles annos deſponſatis, ſi impoſſibilis eſt continentia? Quare leges pœnales adulteriis ſtatuitis; cum adulteria vobis neceſſaria ſint? Quomodo facultates & bona veſtra juſtè in hæredes ſuos transferuntur, quando mora, vel abſentia vagam libidinem neceſſariam æſtimat? Si vos uxores, & filias veſtras incontinentiam docetis, illæ ne in religionem delinquant, corpora turpiter proſtituant, quomodo inter vos nobilis, aut honeſta matrona, aut filia nominari poteſt? Secundò quæro. Cum impoſſibilis ſit carnis continentia, an omnes ſitis adulteri, fornicatores, immundi? Si non: dicite, quid in diuturna conjugis infirmitate vel abſentia agitis? Si continentes vos prædicatis, quare impoſſibilitatem continentiæ docetis? Si torum violatis, quare adulterii famam injuriam reputatis? Attendite,

quàm

quàm graviter per impuram hanc doctrinam in Deum, in Rempublicam, in vos ipſos, in conjuges, & proles, in honeſtatem morum, & puritatem Chriſtianæ vitæ delinquatis, & ſi omnino carnis imperio paretis, ſaltem à tam perverſa doctrina abſtinete.

Cap. XI.

An neceſſarium ſit, Chriſti præceptis obedire.

SVpereſt, ut alterum inſpiciamus, quo veræ pietati adverſantur: nimirum, quod Chriſti præceptis obedire nequaquam exiſtiment eſſe neceſſarium. Etſi verò id olim totidem verbis à quibuſdam aſſertum, nunc ab aliis, ipſa rei abſurditate eò deductis, rejiciatur: non poſſunt tamen, ſi ſibi conſtare velint, illud falſum dicere. Si enim poſſibile non eſt, uti eos ante docentes deprehendimus: quî poterit eſſe neceſſarium? Deinde fidem ſine operibus bonis juſtificare tanta cum contentione urgent. At obedientia præceptorum Chriſti conſiſtit in bonis ope-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ribus. Etſi enim fidei aliquando ſoli juſtificatio ac ſalus ſempiterna adſcribitur;non tamen id eò fit,ut opera inde excludantur. Alioqui rurſus non pauca afferri loca poſſent,in quibus ſoli cognitioni Dei, Chriſtique ; charitati ſoli; ſolis operibus aliis idem attribuitur. Vnde rurſus fides excludenda eſſet. Hæc ergo ejus rei cauſa eſt, quod Scriptura ſæpe una voce plura, nempe effectũ unà cum cauſa ſua comprehendat. Sic fidem, dum ei ſoli ſalutem tribuit, intelligit eam, quæ effectum ſuum, nempe opera bona, ſecum trahat; per Metonymiam quandam Synecdochicam. Itaque qui præceptis Chriſti obedire voluerit, eum bene operari neceſſe eſt. Quod ſi ergo non ſint neceſſaria bona opera, neceſſarium etiam non eſt Chriſti præcepta facere. Et certe vita etiam multorum id ſatis oſtendit: ut ſi non pejores ſint Pontificiis, certe nihilo illis meliores videas. Omnis morum diſciplina jacet. Quæ Magiſtratus politicus non punit, ea omnia etiam per ipſo-

rum

rum eccleſias, aut eccleſiaſticam cenſuram licent. Vnum diſſentire capital eſt. Neque quiſquam, modo idem, quod illi, ſentiat, ex eccleſiæ ipſorum corpore ejicitur, priuſquam per carnificem ob nefanda flagitia à civili corpore abſcindatur. Vt dicere poſſis, probitatem magis à politicis ad civilẽ, quàm à Theologis ad cœleſtem fælicitatẽ requiri. Faciliuſq; apud ipſos Chriſtianum quàm civem bonum eſſe. Nam & illos in cœtibus ſuis ferunt, quos etiam Politici à civilibus congregationibus arcent. Atque huc etiam Confeſſionis, Abſolutionis, Sacramentorumque, uti vocant, uſus apud ipſos ſpectat, ut peccatorum remiſſio ipſis ſive detur, ſive obſignetur. Quis enim non lubentius iſta uſurparet, quàm vitam emendaret? Hoc enim illo difficilius. Itaque ſi illo modo remiſſio peccatorum, quæ nihil aliud eſt, quàm juſtificatio, quamque æterna ſalus ex Dei decreto conſequitur, obtineri poteſt: utique vera pietas, & obedientia præceptorum Chri-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ſti non erit neceſſaria. Et quid multis opus? Non poſſunt, niſi injuſtum dicere Deum voluerint, neceſſariam nobis pietatem aſſerere. Docent enim Chriſtum noſtri loco & Dei præcepta obſervaſſe, quę activa; & pœnas peccatorum noſtrorũ plene pertuliſſe, quę paſſiva ejus juſtitia, & utraque nobis imputari dicitur. Iam ſi pœnam Chriſtus omnem noſtri loco plenè pertulit: nõ eſt neceſſe, ut nos peccata fugiamus, pietatique ſtudeamus. Niſi Deum injuſtũ dicere velis, qui bis idem peccatum, & in Chriſto ſcilicet, & in nobis puniat: qua ratione Chriſtus noſtro loco pęnas plenè pertuliſſe nequaquam dici poſſet. Deinde, juſtumne ab eo, cujus loco alius plenè ſatisfecit, debitum exigere? Quòd ſi ergo Chriſtus noſtri loco præcepta obſervavít: quo nomine à nobis Deus idem exigere poterit? Nec eſt, quod in grati animi ſignificationem, & fidei teſtandæ cauſâ a nobis obedientiam exigi dicas. Niſi omnia quæ nos debebamus, Chriſtum non præſtitiſſe ſtatuas.

Nimi-

Nimirum noſtri loco nec gratus fuit, nec credidit, nec pœnitentiam egit, & ſi quæ ſunt alia. Quî ergo dicunt, Chriſtum omnia noſtri loco præſtitiſſe? Nam & illa præcepta ſunt. Si verò etiam illa noſtri loco præſtitit: quo jure à nobis ſub pœna damnationis denuò exiguntur? Longè plura in iſto dogmate ſunt abſurda, quæ fuſe ab aliis enumerata, & refutata ſunt. Sed nos eo hîc contenti ſumus, quòd ex illo ſequatur, obedientiam præceptorum Chriſti, homini qui ſalutem adipiſci velit, non eſſe neceſſariam. Hoc autem ex eo ſequi quivis apertè videt. Neque quicquam agunt, quòd fidem tamen neceſſariam dicant; qua Chriſti activam juſtitiam mihi applicem. Fidem autem ſecum trahere bona opera. Nihil, inquam, agunt. Nam nec fides, ſalvâ illâ eorum ſententiâ, neceſſaria dici poteſt. Nec, utut neceſſaria ſit, bona opera ſecum trahit; quin potius quo ea firmior eſt, eo minus operatur. Non neceſſariam eſſe fidem dico. Quorſum enim opus

illâ? An cæteroqui id non fecit Chriſtus, quod fecit? Nugæ. An meo loco non fecit, niſi feciſſe credam? Ergo nunquam Chriſtum mei loco Dei obſervaſſe præcepta credere poſſum: niſi id quod falſum eſt, credere velim. Nam ſi non credo: id factum non eſt. At antequam credo, certè non credo. Itaque antequam credo, Chriſtus mei loco præcepta non implevit. Quî ergo id credere poſſum factum eſſe, quod factum non eſt? Dicendum ergo, Chriſtum mei etiam loco præcepta obſervaſſe, ſive id credam, ſive minus. Quî ergo fides neceſſaria? Sed eſto: quî fides illa parit in nobis præceptorum obedientiam? Imò quo firmiùs quiſque crediderit ſuo loco jam ſolutum eſſe debitum: eò minus, quomodo ipſe ſolvat, curabit. Manifeſtum ergo eſt, ex ipſorum dogmatibus ſequi pietatem, quæ obedientia præceptorum Chriſti continetur, non eſſe neceſſariam. Hoc autem quis non videt eſſe abſurdiſſimum? Nimirum quam Chriſtus anguſtam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ſtam dixerat ſalutis viam, ea fit ampliſſima. Et quod ſingulis,non dico capitibus, ſed fere paginis, ac penè dixiſſem verſibus in univerſo N. F. codice tam ſeriò inculcatur: contra omnem rationem rejicitur. Vbique enim vel ipſa bona opera ſeu pietas præcipitur, vel mala opera prohibentur, vel rationes ad illa ducentes, ab hiſve revocantes, vel exempla bona, malave facientiũ, illorumq; præmiis,horum pœnis affectorum, aut olim afficiendorum recenſentur.Ipſeque Chriſtus non doctrina tantum ſua, ſed & vita & morte ad pietatem nos ducere voluit: II Cor. v,15. Eph.v,25. Tit.II,14. Hebr.IX, 14. I Pet. II, 24, 25. I Ioh, I, 6, 7. Vt planè perſuaſiſſimum omnibus eſſe debeat, ſi quis ingredi in regnum cœlorum velit, ei obedientiam præceptorum Chriſti omnino neceſſariam eſſe. Etſi verò Pontificii duplicem hîc errorem committant: nimirum quòd quædam bona opera fingant, præceptaque dicant, quæ talia non ſunt: nempe non à Chri-

ſto, ejuſque Apoſtolis, ſed ab hominibus aliis, quibus fidem habere non tenemur, profecta. Deinde, quòd illis, quæ Deus per Chriſtum, ejuſque Apoſtolos præcepit, meritum etiam tribuant. Quæ duo non tantum ex ſacris literis comprobari nequeunt: ſed & ex iiſdẽ facilè rejiciuntur. Quia tamen, quod ad ipſum rerum genus attinet, bona opera omnino neceſſaria dicunt, id quod veriſſimum eſſe vidimus: quis non videt Lutheranos, Calvinianoſque hac in parte illos non tantum ſolidè refutare non poſſe: ſed & univerſam doctrinam Euangelii, quatenus à Pontificiis diſcedit, vehementer ſuſpectam reddere?

Cap. XII.

Concluſio.

Et hæc quidem, ô boni, non eo à nobis diſputata ſunt animo, ut vel ægrè vobis faceremus, vel ad Pontificios tranſire juberemus: ſed ut oſtenſo periculo, & infirmitate cauſſæ veſtræ, cautio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

res, & ſolidorum veritatis funda-mentorũ ſtudioſiores redderemus. Quo fine Medicus ægroto morbi periculum narrat? An ut dolorem augeat? An ut mori cogat? Non certè: ſed ut ad quærenda reme-dia excitet. Sit arx, quæ ab hoſti-bus validiſſimè oppugnetur. Ad-veniat aliquis rerum peritus, & quomodo hoc, itemque illo in loco non ſatis ſit munita; quàm-que facilè ab hoſte ſuperari queat, tibi ob oculos ponat. Quid di-ces? An accuſabis, quod tibi fru-ſtra moleſtus ſit? An ipſum ſua-dere pronunciabis ut hoſti teque arcemque tradas? Quid ſi erra-res? Potuit optimo feciſſe animo. Vt ad ſollicitudinem & curam de munimentis fortioribus te ex-citaret. Idem & hîc vobis cogi-tandum eſt. Sed quicquid vos exi-ſtimetis: ſufficit mihi conſcientiæ meæ teſtimonium. Vos verò agi-te quam putatis cauſſam eſſe, quòd tot hominum myriades hodie vel ad Pontificios deficiant, vel in belluinam vitam atheorum more prolabantur? Equidem duas iſtas,

vel

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

vel earum ſaltem alteram eſſe arbitror: veritatis ignorantiam: & pietatis neglectum: Huc autem & tolerantia crucis & perſecutionis veritatis cauſa pertinet. Qui enim ſimpliciores ſunt, illi quum urgeri ſe vident, id ſequuntur, quod ipſis videtur melius: & quo admiſſo crucem effugere poſſint. Qui verò paulò ſunt acutiores, illi ita ſecum colligunt: ſi melior non datur religio, nullus etiam Deus eſt. Si Deus eſſet, religio eſſet melior. Connexionum autem iſtarum vis ex iis manifeſta eſt, quæ de religione tum Lutheranorum & Calvinianorum, tum etiam Pontificiorum ſupra diſputavimus. Quocirca, ſi illi occurrere malo, quemadmodum quidem vos decet, rite volueritis, ita agite. Ante omnia verum quærite: & quæ hucuſque falſa crediditis, ea abjicite. Saltẽ aliis, quominus ad veri perſpicientiam perveniant, impedimento eſſe deſiſtite. Iſtud jam dudum vos obſervaſſe dicetis: ſed rem ſecus ſeſe habere nimis manifeſtum eſt. Ipſos vos judices volo.

Dici-

Dicite: Rectène Pontificii in verum inquirunt? neque ulli, quominus inquirat, impedimēto ſunt? Negabitis, ſat ſcio. Rationes enim in promptu ſunt. Nam contradicentes non ferunt. Homines diſſentientes expellunt: in carceres conjiciunt: bonis omnibus exuunt: undâ, fune, ferro, flammâ, rotâ, aliiſque mille mortibus trucidant: &, quod nuperum inventum eſt, militum inſolentiâ emaciant. Libros autem diverſam ſententiam ab ipſis continentes, comburunt: & vendi, legiq; ſub graviſſima pœna prohibent. Rectè judicaſtis. Sed in vos ipſos retorqueo. Idem enim & vos facitis. Exiſtimatis vos verum jam habere, Pontificios minimè. At contra exiſtimant alii. Et de ſe ita perſuaſum eſt Pontificiis. Quo jure verò ab illis vos quæritis, ut cogitent fieri poſſe, ut ipſi errent; ſi de vobis id impoſſibile eſſe ſtatuitis? Si verò poſſibile eſt: cur diſſentientes non fertis? non auditis? cur libros legi vendique prohibetis. Quod tibi non vis fieri,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

ri, alteri ne feceris, vulgo dicitur. Vos Chriſti illud moveat: Quicquid vultis ut faciant vobis homines, id ipſi aliis facite. Et Apoſtoli: Inexcuſabilis es, ô homo, omnis qui judicas. In quo judicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ judicas. Scimus enim judicia Dei eſſe ſecundum veritatem in eos, qui talia agunt. Exiſtimas autem, ô homo, qui judicas eos qui talia agunt, & facis ea, te effugiturum judicium Dei? Moveat illud Iurisconſultorum: Si quis apud eũ, qui magiſtratum, poteſtatemque habebit, aliquid novi juris obtinuerit, quandoque poſtea adverſario ejus poſtulante, eodem jure adverſus eum decernetur: ſcilicet, ut quod ipſe in alterius perſona æquum eſſe credidiſſet, id in ipſius quoque perſona valere patiatur. Qui vitio poteſtis Pontificiis vertere: quod ipſi vobis permittitis? Nimirum licentiam vobis dari in alterum vultis; in vos non vultis alteri. Vbi jus? Vbi æquitas? Exiſtimatis magnum infirmi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

firmitatis religionis Pontificiæ argumentum eſſe, quod non niſi vi & tormentis externis ſuſtineri queat. Et rectè putatis. At quia idem vos facitis: an alios idem non judicare de veſtra religione cenſetis? Suſpectam nimirum eo ipſo vel maximè redditis. Nam ſi veritas eſt: quid opus violentiâ? Ipſa ſi clarè proponatur, fortiſſimum telum eſt, & pectus veri cupidum ocyſſime ferit, ac vincit. Chriſtum Apoſtoloſque videte. Ob ſententiam illi ſuam ab aliis violenta multa perpeſſi ſunt; at ipſi non intulerunt propterea aliis. Si eadem veſtra eſt ſententia: cur non iiſdem eam defenditis, & propagatis mediis: docendo ſcilicet & patiendo? Si aliis opus eſſe mediis putatis: nimirum illis, quibus adverſarii Chriſti, Apoſtolorumque ſunt uſi: jam videte, ne & alia à Chriſti & Apoſtolorum veſtra ſit religio. Quod ſi eſt: in mille vos formas vertite; nihil efficietis. Nunc enim, nunc tempus eſt, quo ſine vi potenter vincat preſſa veritas. Atque

que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

que eo ipſo, quod premitur, magnum apud alios famæ erit alimentum. Quo magis (inquit, de Cremutii libris igni deſtinatis; at ſervatis tamen, & editis, Tacitus) ſocordiam eorum invidere libet, qui præſenti potentiâ credunt extingui poſſe etiam ſequentis ævi memoriam. Nam contrà punitis ingeniis gliſcit auctoritas. Neque aliud externi Reges, aut qui eadem ſævitia uſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam peperere. Sed ut iſtud abſit: veræne, vos quæſo, an falſæ religioni magis convenit diſſentientes vi opprimere. Si veræ: non poteſtis ſuccenſere Pontificiis. Nec auditoribus vitio vertere, quod veram credant illam religionem, quam tantâ violentiâ propagatum eunt Pontificii. Ita enim vos ipſi facto veſtro docuiſtis. Si verò falſæ: cur ipſi utimini? Annon eo ipſo ſuſpectam veſtram ſententiam redditis? Sed illud fortaſſis vobis obſtat, quòd, ſi vel receptã ipſi abjiceretis ſententiam; vel abjiciendam eſſe auditores, contrà

quàm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

quàm vos putaretis, cognoſcerent: honori, dignitati, exiſtimationi, proventibus, boniſque veſtris prolixè timendum ſit. Nimirum hinc illæ lacrymæ. Sed vos non niſi quod verum eſt quærite, & docete. Si ferre id nolint alii: afflictiones ſuſtinete. Atque huc alterum ſpectat, quod neceſſariũ eſſe diximus. Sincerum & ſerium pietatis ſtudium. Fugite carnales iſtas concupiſcentias: ne conformemini priſtinis ſeu mundanis cupiditatibus: comeſſationes, cõpotationes, aliaque carni grata magis, quàm ſpiritui ſalutaria declinate: animoſque veſtros ad graviſſimas propter veritatem perpetiendas perſecutiones componite. Atque ut idem faciant auditores veſtri, ſedulò curate. Neque id verbis ſolùm inanibus: quæ aliis veſtris dogmatibus facilè refutantur: quemadmodum proximè præcedentibus capitibus apparuit. Sed abjectis falſis, ejuſmodi argumentis agite, quibus reſiſtere nemo, niſi extremè improbus, poſſit. Summa, id altè ani-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]

animis omnium inſerite: ſancti-
moniâ & patientiâ veritatem vin-
cere. Deus autem veritatis au-
tor, & pietatis veræ largiſſimus
remunerator, impietatiſque ſeve-
riſſimus vindex, veritatis radios
in omnes mundi angulos diffun-
dat: & Spiritu ſuo ſancto corda
veſtra, omniumque ſalutis ſuæ a-
mantium impleat: ut quod fal-
ſum abjiciant, quod improbum
vitent; quodque verum quærant,
quæſitum inveniant, inventum re-
cipiant, receptum exoſculentur,
& ad ejus præſcriptum univerſam
vitã componant: omnes denique,
ſi quæ ingruant, calamitates forti
animo concoquant: & ita expe-
ctent adventum glorioſum Do-
mini noſtri Ieſu Chriſti: atque ex
ejus manibus coronam gloriæ
immarceſſibilem cum gaudio re-
cipiant: id faxit per eundem Fi-
lium ſuum Ieſum Chriſtum Do-
minum noſtrum, cui ſit honor &
gloria ſempiterna. Amen.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
231 O 33 [4]